
: — m :
a : : B:

J.-W. Lelièvre

DE NUPERA D. FRIDERICI SPANHEMII F. EPISTOLA AD AMICUM,

Quâ exhibet novissima circa res Sacras in Belgio dissidia,

AMICI *ad* AMICUM EPISTOLIUM.



M. DC. LXXVI.

DE NUPERA
D. FRIDERICI SPANHEMII F.
EPISTOLA
Ad
AMICUM,
Quâ exhibet noviſſima circa res ſacras in Belgio diſſidia,

AMICI ad AMICUM, EPISTOLIUM.



NUperrimè inter nos ſermo erat, Amice, de nupero libello Cl. Spanhemii, cui Epiſtolæ nomen fecit, meque abs Te induci paſſus ſum, eum ut legerem aliquantò conſideratius; Perlegi igitur, ſed curſim; neque enim vel tempus erat vel animus in iſtis fatigandi ingenium meum, nec res viſa tanti, ut vel mediocriter doctos morari debeat. Tamen ut me legiſſe quantum ſatis eſt intelligas, Lectionis iſtius Heſternæ quantum per hujus diei ſemiſſem vacat, apud Te rationem reddere conſtitui. Sed rem paucis expediam, quam Vir ille multas cæteroquin res doctus, plurimis verborum ambagibus intricavit. Quâ ratione ſi eruditionis aliquam laudem quæſivit vel eloquentiæ, non equidem invideo quod imitari nolim. Videtur enim Florilegia è Trivio captaſſe, dum undique phra-

ſes Latinas Græcaſque, Poëticas, Satyricas cumulatè corraſit congeſſitque: interim vix tria exhibet Sacrarum Literarum teſtimonia, homo Theologus, & res deſcribens Eccleſiæ in qua Dei ipſius vox reſonare debet. Sed vel Tullius aut Varro quiſpiam à prophetarum Apoſtolorumque phraſi propiùs quàm hic noſter mihi abeſſe videntur. Nempe nihil adeò penſi duxit loqui eloquia Dei, dum eos qui hoc unicè quærunt inſectatur. Dum autem amat & admiratur humanæ iſtius ſapientiæ perſuaſoria verba, interim neque Latinè loquitur nec Græcè, etſi, utrumque velle videatur. Verborum mare fundit,rerum guttas ſtillat. Quas ſi ex æquo æſtimaveris, non videbitur, ut per humanam infirmitatem neceſſariò fit, mala admiſcuiſſe bonis, ſed bona malis. Rarum quippe eſt ſi quid hîc boni eſt. Plæraque induci merentur, pauca forte intercurrunt paſſim vera quidem ſed non verè dicta, vel bona etiam, ſi modo vera. Longum foret iſta examinare, ſed in hoc genere ſunt dolor quem ſe animo concepiſſe queritur è conditione Eccleſiæ prorſus dolenda, juſtumque pacis & concordiæ deſiderium, verùm quo vix ſeriò ipſum affici credas, ubi videris nihil his magis contrarium quam ſit hujus Epiſtolæ modus & ratio. Tota enim, ſi legeris, quid aliud quam continua κατηγορία fratrum eſt, & clamor Claſſicus? Sed dicam breviter, quibus maximè modis Camarinam moveat, & Tyria concitet maria Spanhemius. Variè & ubique ferè peccat in Pacis leges, in Charitatem Chri-

Chriſtianam , in Hiſtoriæ fidem. Singula ſe
produnt in ſingulis quæ nunc ſpeciminum inſtar
recenſebo. Charitas omnia tegit, hic noſter
retegit tecta vel protenus ut ſpes erat tegenda:
unguemque infigit ulceri Eccleſiæ, jam magis
quam nuper ſanabili viſo. Nam dum finis mox
fore intelligitur eriſticis libellis utrinque editis,
aliis ſub manum adhuc naſcentibus in ſpongiam
incubituris, dum omnis fermè de rebus ipſis
diſputatio in facti quæſtionem verti cœpit, &
acerrimi Spanhemianarum partium antiſtites in
ſententiæ quam oppugnârunt explicatione à
fratribus allatâ acquieſcere videntur, dum quie-
ſcunt Synodi, Claſſes, Presbyteria, dum mul-
tis in locis coaleſcunt animi, Curatores Aca-
demiæ litibus modum quærunt, ſpes proxima
ſuccedit exoptatiſſimæ Pacis & tranquillitatis;
inter hæc omnia ſolus Spanhemius Epiſtolam
ſcribit quæ oleum addat camino flammaſque
quibus reſtinguendis peregrè huc ſe veniſſe
dicit, ſuccendit. Et quod mireris, eodem quaſi
halitu in remedium malorum inquirit, & ea-
dem ſic exaggerat, ut ſpem omnem potiundi *Pag.*
jam decollaſſe oſtendat. Pacis ſe dicit ſtudioſiſ- 183.212.
ſimum, nemini gravem, nullum dum præter- *P.* 174.
mittit dictionis genus quo ſe oſtendat ſponte li-
tigioſum. Nam præterquam quod non provo-
catus injurioſam iſtam in fratres epiſtolam emi-
ſit: in ſpecie unico quaſi puncto tactus, undi-
quaque multoties ferit mordetque. Variis in
locis mirabar quid cauſæ eſſet, quod Gelaſio
intemperantiùs illuderet, donec mihi ſuggere-
ret memoria hunc illi unum *Acceptilationis* vo-
cabulum exprobraſſe alicubi. Quam certè quaſi

injuriam impatientiùs ferens, conviciorum plauſtris ulciſci voluit. Verum hæc ipſi Etymologicon ſuppeditavit, ut verborum pugnaret apparatu, ubi res deërant, atque maledicendo vindictam exerceret quam malefaciendo non poteſt. Nec Timotheo parcit Detectori, ut ait, nequitiæ ſuæ, à quo tamen nihil ſibi nequiter factum refert; retuliſſet autem hauddubiè ſi fuiſſet. Quid quod ne Collegis quidem parcit. Venerabilem Heidanum dum videri vult datâ quaſi operâ nunquam non cum honore commemoraſſe, tectis tamen Verborum ambagibus plurimam ei turbatæ per Coccejum pacis culpam affingit, dum ejus fultum autoritate, & quaſi fœdere animatum ad majora audendum fuiſſe adſerit. *De Cl. Wittichio Collega hodieque honorando, quocum inimicitias nullas exercuit rarum facturus ſermonem & ſilentio proximum*, ſex integris paginis continuis ejus Viri ſtudia ſcriptaque traducit, dum lites longè plures & à pluribus quàm unquam extiterunt, eï motas recenſet, & ſic ſatis ſuo quodam dicendi genere comprobat. Atque hoc ipſi eſt *acta tantùm narrare, nihilque* optimi Collegæ ſui *vel laudibus vel virtutibus detractum velle*. Celeberrimo prædeceſſori ſuo Joanni Coccejo inſultat mortuo, eumque ſatis operoſè comparat Origini. Quod factum ad invidiam quî non odoratur, næ is naſum non habet. Rem oppido indignam! incomparabili dexteritate & diligentiæ Theologo, & indefeſſo Scripturarum interpreti, Academiæ magno lumini & columini, ignobilis ſucceſſor datus, ab illo turbatam quam ornavit Eccleſiam, queritur, indignatur. Neque

Pag. 109.

P. 98. ſeq.

P. 105. ſeq.

ſatis ei fuit vivos mortuoſque vituperaſſe, niſi vivos quoque cum mortuis, amicos amicis committeret, quo faciunt epiſtolæ ad ſe ſcriptæ ſub fide amici, ac ſi mutatam alicui ſententiam exprobraret, maximè autem quæ ex literis Cl. Perizonii τοῦ μακαρείτου adduxit de Wi- P. 10.
tichio. Verùm his armis ſi inceſſerit, ſimilia contra ſe producere potuiſſet ex epiſtola ſuæ fidei commiſſâ, quam fracto ſigillo & fide, poſtquam attentè perlegiſſet & quæ de ſe non multa cum laude ſua expreſſa invenerat, ſubductis lineolis hinc inde enotaſſet, auſus eſt perferre ad Virum venerandæ dignitatis cui inſcripta erat, Jovem lapidem jurans, iſtud inconſultò à ſe commiſſum fuiſſe; quod tamen factum conſultò ſubductæ lineolœ per ſe loquebantur. Tantundem fidei in propalandis Perizonii literis oſtendit, quas ſi haberet ejuſmodi, ſecùm condere debuiſſet, certè *ſilentio proximo*, cùm literarum arcanarum revelatio hominis ſit uſquequaque loquaciſſimi. Eſtque hoc animi in Collegam malè affecti indicium, (quidquid contra verbis rhetoricetur) adeò corradendis in ipſum undique teſtimoniis incubuiſſe, ut mortuos etiam, quæ in ſinum quaſi amici effundere vivi voluerunt, palam iſta cogat proloqui. Quæ inter Cl. Coccejum jam pluribus adſcriptum & Cl. Philoſophum de Raei quondam mutuò dicta videri poterant crudiuſcula, ſua nobis fide prodit, quorſum, niſi ut proſtituat ambos atque utroſque inter ſe committat. At nimis leve erat paucorum & ſingula tantum præclara nomina perſtrinxiſſe, eò omnis ipſius collimat

 oratio,

oratio, ſive methodum ſpectes ſeu dictionem, ut quotquot hodiè à partibus Cocceji vel Carteſii ſunt cum Remonſtrantibus comparet, atque eamdem utrobique cauſam faciat. Qui ſanè peſſimus agendi mos eſt, quem aliis ante uſitatum, hic vir inſignis ſuo etiam exemplo comprobare debuit, omninò ut æquior cæteris ne videretur. Quod certè alio non facit, quam ut eâdem quâ Remonſtrantes premat eos invidiâ quos fratres & Collegas condignos agnoſcere debet nec inficiatur. Hinc ſi eadem iſtorum cauſa quæ Remonſtrantium eſt, quid vetat ſimilia ſimilibus remedia quæri? Ergò hic ſe prodit, (dicam quod res eſt) de quo jam ante conſtitit nobis aliunde ferale propoſitum de extirpandis hæreſibus, uti propemodum loqui amant, quod ne in nervum erumpat, deus è machina ad eſt qui avertat. Sed interim quid eſt novæ rei de qua incuſat fratres? Quaſi non eadem omnia objecta noſtris à Pontificiis eſſent, neque novitatis crimen periculoſæ declinare, vel Scripturæ obtendi poſſent juſtè, eò quod idem ab hæreticis factum injuſtè. Hic ſanè, non quid dicatur, ſed quis dicat, & quo jure, attendendum eſt. Quæ dum apud animum meum reputo, vix abſum quin dicam, Contraremonſtrantium ſic ſatis prodi Cauſam Remonſtrantibus, dum horum pro ſe dicta, Scriptaque citantur paſſim Spanhemio, nec refutantur; Quaſi dici iſta protuiſſent, nec dicta refelli. Sed rarò invidiam affectuſque prudentia comitatur. Totus in eo eſt, ut communis invidiæ victimas faciat, quorum ferre nequit ſtudia, profectus, encomia

ex

ex his reportata. Nam ut paucis complectar universa, amabo te, quanto cum apparatu, non certè rerum sed verborum, quantis flosculorum ampullis, quàm longis grallatarum dictionum passibus, continuò exclamat, quando de Ecclesiarum in Belgio presente conditione sermo est, quasi pejor nulla inde ab Apostolorum primordio usquam fuisset? Adeo ut fatear, si apud exteros vixissem, atque ibi ista Spanhemiana nec alia vel aliunde de rebus patriis oblata mihi fuissent, vix pedem huic terræ inferre ausurum, præ metu ex istorum lectione concepto, ne vel in me cœlum rueret, vel subtus terra dehisceret. Saltem nil nisi lites & quidem Theologicas, nec alias quam Cartesianas & Coccejanas, de suggestis, pulpitisque, in quolibet hominum congressu, & quovis tempore ac loco, auditurum. Nec verba solum, sed verbera hîc frequentari, cædes, latrocinia, & quidquid est similis mali, credidissem. Cùm certè mihi homini Batavo, nec patriarum rerum ignaro, circa Ecclesiastica non paucis abhinc annis occupato, nihil tale constet. non Synodus, Classisve una à se mutuò vel ab alia ob hæc in publico divisa; neque ullum presbyterium, excepto solo fortasse Medioburgensi. Multò minus ut Politici in partes abierint, ob hanc nempe causam. Sed Synodos, classes, presbyteria, ipsosque Magistratus comperimus continuisse in officio dissentientes. Quidquid vel litis vel dissensionis de his fuit, nuper adhuc privatum erat, donec publicum fecerunt Spanhemianæ factionis homines. Quàm igitur verè, quàm candidè ista

ſcripſerit Spanhemius, quàm ad pacem Eccleſiæ, vident nobiſcum qui vident. At in iis quæ ſequentur, ipſum dabo prorſus falſiloquum. Tres facit cauſas turbatæ Eccleſiæ Belgicæ, inque his primam Carteſianam & Coccejanam in diſcipulos Voetii, Hoornbekii, Mareſii quaſi conſpirationem, illos ut ab Eccleſiarum miniſteriis prohiberent. Quo ſanè nihil falſius comminiſci potuit. Nam Hoornbekii ſaltem tempore nulla fuit (ipſo fatente Spanhemio) Cocceji vel vis vel autoritas, nedum diſcipulorum, aliis ut obſiſtere potuiſſent. Nec iſtorum vel qui Carteſii amant literas ea fuerunt ſtudia diſcipulos Voetii à Cathedris arcendi, ſed ipſius Mareſii & eorum quos ſibi aſſeclas fecerat. Is enim fuit fructus funeſtiſſimæ litis quæ per quindecim annos exercuit duos cæteroquin non infimo loco Theologos, & poſt decennales quaſi inducitas tandem ſopita fuit, majoris incendendæ cauſâ. Nempe decretum illis junctis fœderibus viribuſque in Carteſianos & Coccejanos fuit, teſte ipſomet Mareſio in ſuis paſſim ſcriptis poſt conſignatum illum librum Concordiæ in lucem editis. Antea autem ſicut deinceps variis in locis per Hollandiam repulſam paſſos Voetii quoſdam diſcipulos haud diffitemur, non ob odium vel Cocceji vel Carteſii, ſed artibus Mareſii & ſuorum, quarum facilior fuit effectus, quòd id hominum genus magis inviſum eſſet Magiſtratibus ob ſeditioſas Conciones, & politica ſtudia, quæ omnia duos V. D. Miniſtros Ultrajecto exire coëgerunt, perinde ut tertius à Theologiæ profeſſione deſtitutus, unius ob

P. 120. ſeqq.

iram

iram Maresii. Vide autem quantum Spanhemius hîc prodat nefas? Mera invidiæ & vindictæ cupidine suos agi fatetur, par ut pari referant, & quasi in noxeos sibi fratres armati, quòd temporis hanc oportunitatem se nactos arbitrentur, obtentu novitatis & heterodoxias obruant innocentes & opprimant. Interim simul apparet Spanhemius ἑαυτὸν τιμωρούμενος, Voetii, Hoornbekii, Maresii discipulos autores malorum indicans, quatenus ipsi in fratres quasi desciscentes à fide semel sanctis tradita animadvertere conantur, ut quam sibi ab his illatam injuriam falsò putant, rependant. Næ istud est egregiè χριστιανίζειν! Alteram infeli- *p. 124. seqq.* cium turbarum causam in Cartesianorum cum Coccejanis conjunctione ponit; quæ eò faceret ut vi unita & ob hoc fortiore, impetu majore in orthodoxiam irruerent. Quâ in re fallitur peregregiè. Nunquam enim illis in mentem venit ut se mutuò jungerent, & datâ quasi operâ defenderent. Adversariorum hæc fuerunt studia: & quæ vitio non carent imprudentiæ, quando ferventiore quàm ut ipsi pares essent zelo abrepti, & moræ impatientes, jam nunc tempus esse rati, utrosque extirpare uno quasi ictu voluerant. Hinc pars utraque dum sic unà impetebantur, licet singulæ satis sibi in causâ præsidii esse crederent, quod fit in communi sorte, facilè in unum quasi corpus coaluerunt, præsertim cùm nil esset rei quod ipsorum amicitiæ intercederet. Testantur libelli in publicum & in vulgus emissi, quibus Coccejanæ & Cartesianæ Novitates simul petebantur, & ad quos respondere coacti quorum intererat.

Quid quod ipſum decretum DD. Curatorum πολυθρύλητον utroſque conjunxit, ſaltem ex mente Interpretum, quibus ipſe hic noſter gaudet accenſeri. Sex vel ſeptem de viginti poſitionibus Coccejanis, reliquas attribuant Carteſianis. Utroſque igitur in his unà damnatos credideris, ſi iſtis credendum eſt, ut tandem neceſſe fuerit utrique parti pro ſe junctim reſpondere. At nihiloſecius vidimus eos initiò pro ſuâ quemque parte reſpondiſſe; donec communis conditio diſcrimen ſuſtulit. Infelices ergò bellorum autores, qui quos ſeorſim invadere debuiſſent, ſegreges uniunt unitoſque aggrediuntur, jamque ſpe poſitâ victoriæ potiundæ, omnem belli infauſti invidiam prævalituræ attribuunt parti, inſtar lupi agnum incuſantis, quòd infra flumen conſiſtens turbaret aquas ſupernè labentes. Saltem ejus apologi ſpeciem habet quod de operarum inter ſe diſtributione & collatione mutuâ attribuit vix quidquam tale cogitantibus. Quæ non recens calumnia eſt. Mareſii enim jam olim ea vox fuit, qui prout erat pluſquam gregarius miles non putabat privatum aliquem vel ſolitarium, in ſe inſurgere auſurum quem læſiſſet prior. Ideò ne videretur ipſe magnus Goliath ab unico Davide proſtratus, agmina ſibi finxit & collegia filiorum lucis, è quibus in ſe tela torqueri credebat. Sed vana hæc fuiſſe omnia ſatis ſuperque mihi compertum eſt. Glorioſum iſtud ingenium hîc noſter imitatur, ne poſt Mareſium nullus ſupereſſe Mareſius videatur. Itaque in eundem quoque lapidem offendit, nihil veri dicit quod ad eam partem quam oppugnat. Quamvis

jam

jam nuper maturum ſibi fore hoc conſilium & ſalutare propemodum cogitaverint, ex quo undique negotium ſibi faceſſere adverſarios compererant & exemplo jam dudum præluſiſſe. Quale ſi vel nullum extitiſſet, nihil tamen vetaret ſuſpicari, ipſos eſſe reos facti cujus inſimulant alios, nulla ducti ſpecie rationis. Quin id ipſum oſtendunt exempla gregatim ſcriptitantium, ex quibus prodiit libellus Belgicus **Bericht over de Coccejaansche en Cartesiaansche Nieuwigheden** / &c. oſtendunt Conjurationes Enchuſanæ & Medioburgenſes, illa quidem jam extincta. oſtendunt denique literæ Claſſium Zelandicarum mutuæ, & ab his ad Synodos miſſæ, Tranſiſalanorum in Batavis & Friſiis machinationes Synodicæ, & cum Politicis etiam externæ ditionis collata conſilia. Fallor! an ipſe id fatetur invitò Spanhemius, cum tot Claſſes, Synodos, Presbyteria in unum conſpiraſſe partim fingit, partim verè adſerit, & quod uni Wittichio negotium *Pag.* 99. cum Gelris, Ultrajectinis, Tranſiſalanis, Friſiis, Groninganis fuiſſe dicit, etſi verum non ſit, tamen ſi eſſet ut eſſe putat, quis non hic videt conjuratos quaſi & commodatis invicem operis in unum Theologum iviſſe omnes, cùm ad ſolos tamen Gelros tum pertineret. Simul ex his videre eſt quàm nullo jure queratur de ſcriptorum pro parte læſâ turpitudine quam tantoperè exaggerat, ut pejus nihil quidquam à peſſimo quoque proficiſci potuerit. Nam neque ullum offenderit Carteſianum vel Coccejanum qui prior ſcripſe-

ſcripſerit, cuncti à ſuis provocati & protracti in Harenam, nec modum exceſſerunt juſtæ defenſionis, quamvis quædam forte repereris mixta quodam ſale & aceto. Sed veniam faciliùs impetrat qui læſus lædit, quam qui illæſus, & hoc ipſo prior. Adhæc actoris ſemper partes fuerunt Spanhemianorum, in ſcriptis, inque actibus publicis quotquot vel Synodos vel Claſſes vel Presbyteria fatigavêre.

Pag. 133. Nullum mihi circumquaque intuenti occurrit exemplum contrarium. Aut ergo me oculatior Spanhemius eſt, aut ſi incomperta tam præfractè aſſerit, audacior: ut nil pejus de ipſo exiſtimem, ſi eadem illi quæ nobis in his comperta veritas eſt. Neque tamen ei ſic palam obloqui ſufficiebat, niſi auctâ inſuper criminatione de ſcriptis anonymis, & quæ hanc ſolam ob cauſam (neque enim alias inveneris) videtur famoſis libellis adſcripſiſſe. Qui ſi eſſent, verecundiùs ſane agerent quorum ob hæc puderet ſui nominis, quàm qui ſubſcribere nominatim ſanguinolentis chartis non erubeſcunt. Neſcio autem, an quod Carmen extet Feſcenninum, vel ſcriptum Satyricum hoc de quo agitur, turpius, immitiuſque. Illi autem quos notat, non pudore nominis ſui vel facti conſcientiâ, ſed vel perſecutionis metu, vel verecundiâ latere maluerunt. Quamvis reperti ſint quoque, qui omni procul habito velamine in publicum prodierunt, in his ſunt D. Allinga & Coccejus Junior, filius pro patre, præter pretioſam communis atque optimæ cauſæ victimam, venerabilem Heidanum: Cum quo ut in eadem inciderent incommoda, vellent Spanhemius

hemius aliique ut cæteri quoque ſub Jovis fulmine locati ſcriberent ſe autores. At enim è re etiam fuit publica rem noſſe, perſonas nôn noſſe ne lis realis in perſonalem degeneraret, qualem volunt & quærunt, qui animis ſchiſma inſanabile conceperunt. Cujus ne unquam voti compotes fiant, Deum pacis toto pectore veneror. In qua prece deſino, nullum ratus operæ pretium, circa hæc pluribus fatigari, in quibus dum ſinguli invenerint quod ſuum eſt, haud dubiè pro ſe quiſque reſpondebunt. Vale. dabam Idibus Decembris 1676.

F I N I S.